



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Andreæ Vallensis Vvlgo Del Vavlx Andanensis, I. V. D. Et
In Alma Academia Lovaniensi SS. Canonum Professoris
Ordinarii, Paratitla Ivris Canonici Sive Decretalivm D.
Gregorii Papæ IX. Svmmaria Ac ...**

Delvaux, André

Coloniæ Agrippinæ, 1686

4. De stylo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62177)

7. Non obstat denique, quod lex debeat esse rationabilis & iusta; unde videtur sequi, consuetudinem, quæ contraria sit legi, fore injustam & irrationabilem: quia licet consuetudo, contraria legi, eamque abrogans, sit contra rationem talis legis, non tamen est contra omnem aliam rationem: si quidem contraria diversis respectibus possunt esse rationabilia, arg. c. *Quia non debet, inf. De consanguinitate*. Et hinc fit, quod consuetudo possit etiam abrogare legem, habentem clausulam, *Non obstante contraria consuetudine*, sive præterita scilicet sive futura, ex nova nimirum & iusta ratione superveniente, quæ iniustitiâ seu iniquitatem consuetudinis pro eo tempore, quo lex eam tollit, aufert. An autem consuetudo contraria legi vel statuto probetur per simplicem observantiam, an verò demonstrari debeat, quod in contradictorio iudicio fuerit obtenta, quæri potest. Posterior tenet *Surd. Conf. 393. n. 25. per l. De quibus*, in verbis, *in omnibus*, *D. De LL. & alios, quos citat.*

§. IV. De Stylo.

1. Quid per Stylum hic intelligatur.
2. Stylus Curia Rom. ius facit.
3. Etiam in aliis Curia.
4. Stylus à consuetudine in quibus differat.
5. Allegans Stylum probare eum debet.

1. Quemadmodum Consuetudo dupliciter sumitur, prout vel est facti, vel iuris, seu ius quoddam: ita proportione quadam Stylus, prout speciatim à Juris peritis usurpatur, sumi potest vel pro modo ac formula quasi artificiali procedendi in causis & negotiis, ut docet *Barr. in l. de quibus D. De LL.* sicque vocari Stylus facti: vel pro iure quodam, ex huiusmodi formula & modo procedendi nato: 2. sic enim dicimus Stylum Curia Romane facere ius, maximeque in rescriptis attendi debere, c. *Quam gravi, 6. inf. De crimine falsi*. & allegari posse in decisionibus, quando ius non est in contrarium, c. *Ex litteris sup. De consuet. c. Litteris 2. inf. De juramento calumnia*. Videatur *Farinac. 2. p. Decis. 88. num. 1.* Et maxime in respicientibus processum, & in modo procedendi attendi debet, *Farin. 1. p. Decis. 704. num. 6.* Necessario autem Stylus Curia Rom. scrivari e-

tiam in omnibus aliis debet *Curia Farin. d. p. Decis. 212. n. 2.* etiam extra statum Ecclesiasticum, maxime ubi agitur de interpretatione litterarum Apostolicarum, vel statuti, à Sede Apostolica confirmati, ut idem *Farinac. docet. ibid. Decis. 196. n. 2.*

3. Differt verò Stylus à consuetudine, primo, quod Stylus sit in scribendo; consuetudo in aliis actibus *Decius Conf. 11. nu. 12. Matfil. Conf. 8. n. 27. Felin. inc. 2. num. 18. De rescript.* Secundo, Stylus versatur circa modum procedendi in iudicio; consuetudo circa definitionem, decisionemque causarum *Alex. Conf. 36. n. 9. lib. 2.* Stylus est particularis; consuetudo generalis, *Felin. d. loco.* Denique Stylus tantum introducitur ex actibus iudicialibus: consuetudo tam ex actibus extrajudicialibus, quam iudicialibus.

6. Cæterum quemadmodum allegans consuetudinem, probare eam debet, ita & allegans Stylum alicuius Curia, eum probare tenetur, & quidem in individuo & concludenter. *Farinac. 2. p. Decis. 486. n. 71. & Decis. 301. nu. 7. ubi alios citat.* Quamquam, ubi respicit ordinatorem iudicii, possit Iudex se de illo extrajudicialiter informare, ut ibidem docet *Farinac. Decis. 725. n. 5.* Alioquin Stylus, contra ius, & respiciens decisoria, concludenter probari debet non per simplicem fidem, ut idem docet *1. p. Decis. 256. n. 5.* nec per fidem extrajudicalem Procuratorum. *decis. 644. n. 4.* Probatur verò ex assertione plurium Notariorum & Causidicorum & inspectione aliorum processuum, *Farinac. 1. p. Decis. 393. n. 2.* Quod de Styli duplici acceptione diximus, idem dici potest de Ritu, qui videtur significare usum & observantiam circa solemnitatem alicuius actus, aut ius quoddam non scriptum, ortum ex tali observantia solemnitatis circa tales aut tales actus.

TITULUS QUINTUS

De Postulatione Prælatorum.

1. Ratio ordinis.
2. Quid sit Postulatio.
3. Qui postulandi.

E 2

4. 5. De-